Noverint universi Quod Ego Anthonius filius Bernardi Mastorelli quondam parrochie sancti Saturnini de palaciolo
[illegible] et domine Margarite eius uxoris viventis domine utilis et proprietarie mansi Sagrera dicte parrochie
4 [illegible] et certa scientia confiteor et recognosco vobis venerabili domine Sibille de Caneto monali et sacristisse monasterii
sancti Danielis extra muros Gerunde Quod sum et esse debeo homo proprius et solidus vester dicte domine Sibille de Caneto racione
dicte sacristie et eciam vestre sacristie et succedentium vobis in eadem sacristia una cum omni prole mea ante nata
et procreanda ac rebus et bonis meis mobilibus presentibus et futuris pro eo quia sum filius dictorum Bernardi
Mastorelli et Margarite eius uxoris qui erant homines proprii et solidi dicte sacristie racione dicti mansi Sag[rera]
et eius terrarum honorum et possessionum Quiquidem mansus pro dicta sacristia et vobis nomine eiusdem directe tenetur
Et de quo manso dicta sacristia et vos eius nomine habetis et habere debetis homines et mulieres et alias
firmitates Et sic promitto vobis dicte venerabili domine Sibille de Caneto et dicte vestre sacristie et succedentibus vestris in dicta
sacristia quod ero vobis et dicte sacristie et dictis vestris succedentibus bonus fidelis et legalis de corpore et de avere
et de omnibus iuribus dicte sacristie pertinentibus et pertinere debentibus quoquomodo Et quod obediam vobis et man-
datis vestris licitis et honestis Et quod infra decem dies postquam a vobis vel vestris succedentibus pro inde fuero requisitus
[illegible] vel [illegible] ut in meo domicilio aut alibi veniam et ero personaliter in illo loco infra dictam Gerundam ubi me
volueritis et ab inde non recedam aliqua racione absque vestri vel vestrorum succedentium predictorum licentia et voluntate
Et quod non intrabo causa habitandi aliquam civitatem villam castrum vel aliud locum privilegiatum vel non
privilegiatum nec aliquid aliud faciam tractabo vel procurabo propter quod dicta sacristia vel vos aut succedentes
vestri in eadem possent aut possetis ius et dominium que in me et prole mea nascitura et rebus ac bonis meis mobi-
libus presentibus et futuris habetis et habere debetis amittere et alius sibi adquirere quoquomodo obligando
ad hec vobis et dicte sacristie et dictis vestris succedentibus in dicta sacristia personam meam et omnia bona
mea habita et habenda ubique Et pro predictis facio et presto homagium ore et manibus comendatum
discreto Guillelmo Ricardi presbitero beneficiato in ecclesia Gerunde presenti vos pro vobis et nomine vestro recipienti
iuxta usum et consuetudinem huius terre Iurans etiam sponte per dominum deum et eius sancta quatuor evangelia
[illegible] corporaliter ante tacta predicta omnia et singula rata grata et firma semper habere tenere et servare
eaque attendere et complere et non contrafacere vel venire racione minoris etatis restitucione in integrum
postulando nec aliqua alia racione iure modo vel causa Immo virtute dicti iuramenti renuncio scienter
super hiis iuri minoris etatis et beneficio restitucionis in integrum et omni alii iuri in contrarium ve-
nienti Confitens me sub dicti iuramenti virtute etatem viginti annorum excessisse minorem vero esse vi-
ginti quinque annis. Actum est hoc Gerunde die tricesima prima Januarii anno anatte domini Millesimo Quadri-
gentesimo Tricesimo secundo. Signum mei Anthonii Mastorelli predicti qui hec firmo laudo et iuro.

Testes huius rei sunt discretus Bernardus Rotlli presbiter beneficiatus in ecclesia Gerunde et Petrus [illegible] Bagudarius
scriptor Gerunde.

Signum [illegible] Ferrarii Sasala notarius publicus auctoritate regia substitutus a
Jacobo de Campolongo publico Civitatis baiulie et vicarie Gerunde [illegible]
principali notario hec scripsit et clausit.

Valol

[illegible]

N. S. [illegible]

1211